

## DE V. DECALOGI PRAECEPTO

*Non occides. Exod. 20. 13.*

388. — Prohibet hoc praeceptum, quatenus *negativum* est, primario quidem homicidium, id est, iniustam hominis occisionem; secundo autem et consequenter omnem iniustam laesionem, vulnerationem aut mutilationem corporis, sive proprii sive alieni (1). Quatenus vero virtualiter est *positivum*, praecipit vitae conservationem.

Ea autem, quae de occisione sive licita, sive illicita statuentur, eadem mutilationi vel cuilibet corporis laesioni, servata debita proportione, applicanda erunt.

Agendum 1<sup>o</sup> de occisione sui; 2<sup>o</sup> de occisione proximi; 3<sup>o</sup> de duello; 4<sup>o</sup> de bello.

## CAPUT I.

## DE OCCISIONE SUI SEU DE SUICIDIO

389. **Principia.** — I. Nemini unquam licet se directe, id est ex intentione, et propria (2) auctoritate occidere. Constat 1<sup>o</sup> ex praecepto divino: *Non occides. Exod. 20. 13.* — *Ego occidam, et ego vivere faciam. Deut. 32. 39.* — *Tu enim es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem. Sap. 16. 13.* — 2<sup>o</sup> Ex lege naturali. Homo enim dominium directum non habet in corpus suum, nec in vitam suam, sed solum dominium utile et administrationem: siquidem haec non habet a se, sed a Deo acceptit (3), et Deo tantum repetenti reddere debet. Ergo suicida laedit

(1) Solent hic tradi quaedam homicidii divisiones, ut aliud sit *casuale*, et aliud *voluntarium*, et hoc quidem vel *directum*, vel *indirectum*. Praesertim vero distinguendum est homicidium *simplex* a *qualificato*, aliam nempe peccati speciem adnexam habente. Huiusmodi est 1<sup>o</sup> *Sacrilegium* sive ratione personae occisae, sive ratione loci, in quo fit occisio; 2<sup>o</sup> *Paricidium*, caedes nimirum aut parentum aut filiorum, aut fratris seu sororis, aut coniugis aut etiam Principis; 3<sup>o</sup> *Latrocinium*, occisio scilicet aut vulneratio ex praedandi voluntate; 4<sup>o</sup> *Veneficium magicum*, cum nempe ope daemonis malum corporale aut etiam mors alicui infertur.

Homicidiis qualificatis accenseri solent

etiam 1<sup>o</sup> homicidium *proditorium*, scilicet sub amicitiae specie patratum, 2<sup>o</sup> *assassinium*, tum ex parte conductoris ad occidendum, tum ex parte conducti, 3<sup>o</sup> *veneficium simplex*. Hae tamen distinctiones, quas incaute quidam quasi ad diversas species morales transtulerunt, mere deserviunt ad metiendam criminis gravitatem in foro externo; nam quoad forum conscientiae circumstantiam mere aggravantem constituunt.

(2) Nempe seclusa *auctoritate divina*. Excusari tamen hoc crimen posse ignorantia iuxta SS. Patrum sensa innuit Lessius (*De Iust. et Iur.* lib. 2. cap. 9. n. 23.).

(3) Cur homo, qui a Deo et vitam et bona extrinseca accepit, horum quidem

Dei supremum dominium destruendo rem non suam. Laedit quoque societatem, cuius est pars, ut ait S. Thom. 2. 2. qu. 64. art. 5. (4).

II. Nunquam sine divina auctoritate fas est ponere actum externum, per se immediate tendentem ad sui destructionem, nisi actus ille habeat alium effectum bonum et immediatum, qui solus intendatur, et gravissima ratio effectum illum bonum obtineri urgeat. Ratio est, quia ubi actus physicus etiam per se indifferens non habet alium effectum quam suicidium, iam fit malus, siquidem nulla adest ratio, qua praeceptum conservandi vitam, et cavendi a mortis periculo cesset. Ergo in quocumque casu prohibetur.

III. Licet concurrere indirecte ad occisionem sui, seu ponere actionem, ex qua praeter intentionem propria mors certo sequatur; modo ex ista actione sequatur aequae immediate aliquod bonum, quod vitae iacturam compenset, et hoc solum intendatur. Ratio patet ex dictis in *Tract. de Act. hum.* ubi de *voluntario indirecto*, n. 9.

390. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *An liceat incendere navim aut turrim, ut hostes grave damnum patiantur, sed cum certa vitae propriae iactura?*

*Resp. Affirm.* saltem *probabilius*; quia expedit damnum publicum

dominium habeat, non item vitae suae, egregie explicant Molina (*De Iust. et Iur.* tom. IV. disp. 1. n. 1.), et Lugo (*De Iust. et Iur.* disp. 10. n. 9. et 17.). Scilicet, ut ait Lugo, quamvis homo potuerit accipere dominium aliarum rerum, quae sunt extra ipsum et ab ipso distinguuntur, non tamen potuit accipere dominium sui ipsius, quia, ut ex ipso conceptu et definitione patet, dominus est aliquid relativum et sicut nemo est suipsius pater vel magister, ita neque suipsius dominus esse potest. Est autem dominus actionum suarum, hinc et se vendere h. e. operationes suas alteri potest; neque enim servitus totum facit hominem esse alterius.

Addi ratio potest, quod vita praesens essentialiter est conditio hominis Deo servientis, atque adeo eiusdem legibus subditi, ac praeceptis obsequentis; ex qua deinde conditione vel praemium vel poenam in futura vita sortitur. Atqui 1<sup>o</sup> non debet esse in potestate servientis Deo, ut pro suo arbitrio tempus servientis finiat; ac 2<sup>o</sup> multo minus debet esse in eius pote-

state, ut praeceptis Dei forte sibi molestis subtrahere se impune et pro lubitu possit. Utrumque autem eiusmodi incommodum sequeretur, si liberum homini foret vitae suae terminum ponere, quandocumque ipsi libeat. Ergo.

(4) Vetant Ecclesiae canones, ne suicidae in loco sacro sepeliantur. Quod tamen non intelligendum de iis est, qui ex furore, amentia, vel passione gravissimae tristitiae turbata phantasia se occiderunt, vel qui ante mortem vere de hoc doluerunt (S. Alph. lib. 3. n. 375.). Ratio, quia pia mater Ecclesia hanc poenam infligere non solet, nisi constet, quempiam, dum se occidit, plane sui compotem fuisse. In dubio autem, an suicida pleno polleret iudicio, in favorem eius inclinandum est, licet minori apparatu, v. gr. uno tantum vel altero comitante sacerdote, sepeliri hi consueverint.

Ex iure autem civili communi tum suicidae, tum qui hoc crimen tentant, etiam morte non sequuta, poena infamiae puniuntur.



vitari, vel commune bonum procurari etiam cum damno privatorum certissimo. — Lugo, Lessius... — S. Lig. n. 367. (5).

QUAER. 2<sup>o</sup> *An virgo ad castitatem servandam se exponere mortis periculo possit?*

*Resp. Affirm.*, saltem si mors non sit certo secutura, idque tum ob amorem castitatis, tum ob periculum peccati, quod saepius in tali occasione habetur. — *Ita communiter theologi.* — Imo *probabilius* adhuc affirmandum est, licet mors certo secutura sit, nec adsit proximum consensus periculum; quia etiam sola corporis integritas maximi aestimatur. — S. Lig. n. 366.; *Hom. apost.* n. 1. — Laymann, etc.

QUAER. 3<sup>o</sup> *An virgo teneatur permittere se occidi potius, quam violari?* (6).

*Resp. Neg. probabiliter*, saltem speculative loquendo, modo voluntate positive resistat, et proximum absit consensus periculum. Ratio est, quia haec permissio non est *formalis* ad peccatum alterius cooperatio, sed *materialis* tantum; iusta autem adest permissionis causa, mortis scilicet

(5) S. Alphonsus (lib. 3. n. 367. q. II.) de hac re inducit Doctores quasi dissentientes, et pro opinione negante etiam S. Thomam (2. 2. q. 64. art. 5.) allegat. Sed reipsa nulla est inter Doctores dissensio; qui ideo solum diversam quaestionis solutionem praeferunt, quia diversam statuunt hypothesim seu quaestionem. S. Thomas itaque, et alii cum eo, licere id negant ad privatum vitandum incommodum, seu *ad alias huius vitae miseriae* evadendas, v. gr. captivitatem aut etiam mortem sibi ab aliis inferendam. Hoc autem non pugnat cum aliorum communi sententia, quod id liceat, ubi causa boni publici, aut ratio damni publici avertendi intercedat.

(6) Adverte, quaestionem fieri, *an teneatur*, non vero, *an liceat*; nam licere mortem potius, quam pudicitiae iacturam pati, consentiunt omnes. Caeterum *Taberna dicit*, *puellam non peccare, si ob evidens periculum mortis, vel ingentis infamiae, non adhibeat omnia media ad depellendum stupratorem, v. gr. si hunc, cum posset, non occidat, non inclamet viciniam, sed mere pa-*

*tiatur coitum, tamen secluso omni periculo consensus. Licet vero hanc propositionem editis libris teneant Auctores plures quam quinquaginta...., inter quos sunt S. Antoninus, Silvester, Sotus, Navarrus, Toletus, Lessius, Reginaldus, Gonet, etc.; tamen non expedit eam publice proponere..., quia apta est causare abusus praesertim apud rudes.* Ita Croix, lib. 3. part. 1. n. 916., ubi Fr. Ant. Zacharia notam non inutilem subiecit.

Huc facit et sententia Cornelii a Lapide ad Danielis cap. XIII. v. 23., ubi de Susanna agit a senibus ad peccandum provocata: *Potuisset tamen (Susanna) in tanto periculo infamiae et mortis negative se habere, ac permittere eorum in se libidinem, modo interno actu in eam non consensisset, sed eam detestata et execrata fuisset; quia maius bonum est fama et vita, quam pudicitia, unde hanc pro illa exponere licet.. Quod vero exclamavit... actus fuit insignis atque heroicae castitatis: talis enim est magis velle mori, quam pollui.*

periculum. Haec tamen praxis non videtur consulenda, quando alicuius consensus periculum timeri prudenter possit.

QUAER. 4<sup>o</sup> *An licitum sit reo se sistere coram iudice, etsi certo morte puniri debeat?*

*Resp. Affirm.* Quia actio ista *per se* est indifferens, imo et honesta; in casu enim velle mori perinde est, ac velle iustitiae ordinem; et sicuti ob iustam causam mortem alteri desiderare licet, atque etiam legitimo modo procurare, ita et sibi. — Lugo. — Lessius. — S. Lig. *Hom. apost.* n. 2.

391. *Resolves.* — 1<sup>o</sup> Quisque tenetur ad vitam conservandam, cum nemo huius vitae donum abiicere sine peccato possit, et perinde sit vitam non conservare, atque eam sibi adimere (7).

2<sup>o</sup> Nunquam licet ponere cum intentione se occidendi actionem, ex qua mors, licet per accidens tantum, secutura sit; quia (8) nunquam licet velle rem vetitam, et hanc voluntatem ad actum redigere.

3<sup>o</sup> Non tenetur quis servare vitam remediis extraordinariis, aut quae maximum dolorem afferant; ratio est, quia non datur obligatio servandae vitae nisi mediis ordinariis, quae nempe nec magna adducunt incommoda nec sumptus pro varia cuiusque conditione ingentes exposcunt, neque dolores admodum acerbos causant, etc. Sic, v. gr. non teneris vitae servandae causa pati amputationem cruris sive brachii, aut incisionem ventris ad extrahendum calculum. — S. Lig. n. 372.

4<sup>o</sup> Non tenetur virgo operationem pati per manus medici, etiamsi vita periclitetur, quando ob verecundiam id ei gravissimum accidit, ma-

(7) Licet nihilominus ex communissima DD. sententia tabulam amico cedere in naufragio etiam cum certa vitae iactura: quinimo ex S. Thoma id perfectissimae esset virtutis (Vid. Fagundez, *In Dec.* lib. V. cap. 12. n. 18.). Consentit et S. Alphonsus (lib. 3. n. 366.), *etiamsi tabula sit iam capta*, et ad id confirmandum S. Thomae memoratam doctrinam refert. Verum movetur deinde scrupulo Sylvii, qui (In 2. 2. q. 26. a. 1.) id non concedit, *nisi propter peritiam natandi absit periculum mortis.* Unde S. Alphonsus subdit: *Recte autem advertit Sylvius, eum non posse, ad tabulam cedendam, se proicere in mare, quia nemo potest positive se occidere.* Verum haec aegre conciliantur cum praecedentibus;

nam si tabulam iam cepit, demissio seu proiectio sui in mare est necessarium tabulae concessae consecrarium etiam ex Sylvio qui dicit: *Si iam tabula uti coepit, non videtur posse eam relinquere, nisi se ipsum in mare proiciat.*

Caeterum, uti Fagundez (l. c.) advertit, potes quidem licite, sed non teneris, *caeteris paribus*, tabulam tunc cedere. *Caeteris paribus*, inquam; nam teneri posses, si alterius vitam servari bonum publicum exigeret; et contra non liceret, si ex tuae vitae iactura grave damnum aliis, v. gr. familiae necessario alenda, immineret.

(8) Ratio petitur ex resolutione praec., seu etiam ex principio II. (sup. n. 389.), cuius hic habes repetitionem.



ioemque illi horrorem, quam ipsa mors, ingerit. — S. Lig. *ibid.*; *Hom. apost.* n. 2.

5<sup>o</sup> Nunquam licet macerare corpus ad vitam breviandam, neque, etiam secluso tali fine, immoderatis et prorsus indiscretis poenitentis graviter valetudinem pessumdare. Licet tamen ex virtute poenitentis ordinarie gravibus uti cum certa quadam vitae abbreviatione; quia ex communi DD. sententia propter meritum, vel naturae pravae mortificationem aliqua longioris vitae iactura contemni potest. — S. Lig. n. 371.; *Hom. apost.* n. 2.

6<sup>o</sup> Non peccant artifices, qui super aedificiorum tecta ascendunt, et variis sese periculis, ubi opus sit, exponunt; nec fabri ferrarii, qui quotidie ignem versando vitam sibi minuunt; ratio est, quia ex causa rationabili id agunt. Contra graviter peccant viri audaces, qui ex temeraria sponsione et vana gloria in gravia discrimina sine causa se iniiciunt, in altum ascendendo, deorsum se demittendo, onera graviora ferendo, etc.

7<sup>o</sup> Non licet se mutilare, nisi ad conservationem totius corporis sit necessarium, quia homo non est membrorum suorum dominus, sed custos tantum, et quidquid homo est, totum Dei est, nec aliud dominium in corpus suum, nisi utile seu indirectum habet. Attamen S. Alph. non reicit ut improbabilem opinionem affirmantem, id licere ad vocis conservationem, si aliae adsint conditiones (9). — S. Lig. l. 3. n. 374.

8<sup>o</sup> Non licet se mutilare pro bono spirituali, aut ad vitandum quodlibet peccatum. Ut enim ait S. Thomas, *saluti spirituali semper potest aliter subveniri, quam per membri praecisionem, quia peccatum subiacet voluntati. Et ideo in nullo casu licet membrum praescindere propter quodcumque peccatum vitandum* (2. 2. q. 65. art. 1. ad 3.) (10).

(9) Conditiones ex S. Alphonso sunt, ut absit morale periculum vitae, et non fiat pueris invitis. Huius opinionis ratio est (ait S. Alphonsus), tum quia eunuchi utiles sunt bono communi ad divinas laudes in ecclesiis suaviter canendas; tum quia conservatio vocis non parvi quidem momenti in eis dicendum est bonum, cum per illud conditionem notabiliter in melius mutant..., et ideo tantum bonum iusta esse causa videtur, ut cum illo tale corporis nocuum resarciri licite possit; tanto magis quod hoc in dies in usum ducitur, et ab Ecclesia toleratur, ut ait Elbel. Benedictus XIV licet inclinaret

in opinionem, quam communior dixit, *ultroneam evirationem a peccato excusandam non esse*; tamen auctor est Episcopus, ne eiusmodi cantores a choris musicis eliminando molestias et offensiones sine causa sibi parare velint. *De Synod.* lib. 2. cap. 7. n. 3-6.

(10) Adde quod eiusmodi mutilatio impotem quidem efficit ad generandum, non tamen eximit a tentationibus carnalibus. *Ecclesiae autem disciplina irregularitatis notam inurit eunuchis, qui extra necessitatem salvandae vitae mutilationi suae assensum praebuerit.* *Bened.* XIV, *De Syn.* lib. 2. cap. 7. n. 5.

9<sup>o</sup> *Probabilius* licet manum catena ligatam sibi abscindere ad vitandam mortem a bellua, vel tyranno, aut incendio impendentem, quia pars bono totius hominis cedere debet. — Lugo, *de Iustitia*, disp. 10. n. 22. — Lacroix, n. 786. — Billuart, contra alios. — V. *Casus*, n. 376. et seq.

## CAPUT II.

## DE OCCISIONE PROXIMI

Scilicet 1<sup>o</sup> de occisione rei; 2<sup>o</sup> aggressoris; 3<sup>o</sup> innocentis.

## ARTICULUS I. — DE OCCISIONE REI SEU MALEFACTORIS.

392. **Principia.** — I. Licet malefactores publica auctoritate occidere. Ratio, quia hoc est medium necessarium ad commune totius societatis bonum procurandum, immo ad ipsam societatem servandam; quod quidem plerumque non nisi morte scelestorum hominum obtineri potest. Deus autem potestatem, sine qua societas stare non posset, contulisse dicendus est. Constat etiam ex praxi cuiusvis legislationis, ex sacra Scriptura, et universali omnium consensu.

II. Non licet autem occidere malefactores auctoritate privata. Quia nemo alium occidere potest sine potestate; at privati nullam eiusmodi potestatem a Deo acceperunt; etenim, ne caedibus omnia impleantur, haec potestas soli totius civilis societatis Superiori data est. Ergo (1).

393. **Resolves.** — 1<sup>o</sup> Nemini licet aliquem potestati suae non subiectum verberare, nisi accedat consensus saltem tacitus illius, qui pote-

(1) Nullatenus huic doctrinae obstat, quod interdum leges civiles servatis quibusdam conditionibus, facultatem fecerint occidendi modo alterutrum, modo utrumque adulterum: quas leges innuit Card. De Lugo (*De Iust. et Iur.* disp. 10. n. 84.). Etenim, ut habet S. Thomas (In 4. dist. 37. q. 2. art. 1.). *Lex civilis quasi licitum computat, quod in ipso actu eam (vir) interficiat, non quasi praecipiens, sed quasi poenam homicidii non inferens propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto ad occisionem uxoris. Sed Ecclesia non est adstricta legibus humanis, ut iudicet eum sine reatu poenae aeternae vel poenae ecclesiastico iudicio infligendae ex hoc quod est sine reatu*

*poenae infligendae per iudicium saeculare.*

Quin ipse S. Doctor occurrit difficultati, quae peti poterat ex c. *Si vero* 3. *De Sent. excomm.*, immunem scilicet esse ab excommunicatione Canonis eum, qui in clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum, manus iniecerit violentas. Respondet enim S. Thomas (*ibid.* ad 3.): *Ex hoc non probatur, quod (uxoricidium) licitum sit simpliciter, sed quantum ad immunitatem ab aliqua poena: quia etiam excommunicatio quaedam poena est.*

His adde prop. XIX<sup>am</sup> damnatam ad Alex. VII, quae sic legitur: *Non peccat maritus occidendo propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*